

/ Serenissimae Dominae meae. Litterae Vestrarum Serenitatum
invenerunt me in Domo Novitiorum nostrorum, ubi singulis annis
per mensem Septembrem solus habito, ~~in~~ et Exercitiis spirituali-
bus operam do, ut me ad mortem, in quantum possum, comparem. Ita-
5 que non potero cum summo Pontifice colloqui ante dies quindecim,
vel viginti. Sed quod mihi molestius est, durum mihi videtur pro
hominibus tam incontinentibus intercedere. Synodus Tridentina ju-
bet, ut in secundo gradu non detur dispensatio nisi summis Prin-
cipibus, et ob publicam causam; quomodo ergo volumus nos petere
10 a Summo Pontifice, ut dispenset cum personis privatis? Accedit,
quod Summus Pontifex, ut avertat homines ab ejusmodi petitioni-
bus, non solet dispensare, si divites sint, nisi imposita magna
mulcta pecuniaria aliquot millium aureorum; vel si pauperes sint,
nisi veniant ad Urbem, et ad longum tempus laborent in fabrica
15 Sancti Petri, vel in Hospitalibus. Rogo ergo Serenitates vestras,
ut vel hortentur virum istum, pro gloria Dei, et pro honore Conci-
lii Tridentini, ut patienter ferat ignominiam quam secum adfert
culpa commissa, vel, si hoc non placet, jubeant ad me scribi, quan-
ta sit nobilitas istarum personarum, et si habent unde solvant
20 magnam pecuniam; vel si more pauperum paratus sit vel Romam acce-
dere, et famulari, vel ad fabricam Sancti Petri, vel ad Hospitale
infirmorum. His valeant Serenissimae Dominae meae mei memores in
sanctis precibus suis. Romae 10 Septembr. 1618.